



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

An trahat Deus prædeterminando physicè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Idem Augustinus trahere interpretatur ex nolentibus facere volentes. Idem etiam censet Amesius Calvinianus in disputatione scholastica. Fideles trahi affirmat respectu carnis adhuc inimicæ Deo, quo sensu violentam actionem dicere non veretur. Sic & Hieronymus l. 3. contra Pelagianos. Sic rami & flagella victum illico contabescunt, cum fuerint à matrice præcisæ: ita omnis hominum forsitudo marcescit, & deperit, si à Dei auxilio deficiatur. Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Quando dicit, nemo potest venire ad me, frangit superbientem arbitrii libertatem: quod etiam si vellet ad Christum pergere, nisi fiat illud quod sequitur, nisi pater eum coactus traxerit eum, nequiquam cupiat, & frustra nitatur. Nam sine tractione non volunt.

§. 5. Beza etiam volentes trahi fatetur; nam qui inuiti trahuntur, & reluctantes amici non sunt, quamvis autem aliquando reluctentur, aliquando tamen lucta vincitur, & volentes fiunt, certe omnino sine tractione non fiunt ex nolentibus volentes. Augustinus l. 1. contra duas Epist. c. 5. Legant etiam quod ipse Dominus ait, nemo potest venire ad me nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Vbi ne quisquam putet aliud dictum esse, venire ad me, quod non credere in me, p. 10. lo. post. cum de suo corpore & sanguine loqueretur, & secunda dicitur, ut essent plurimi in sermone eius, ait, verba quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Deinde subiungit Evangelistæ, sciebat enim ab initio quæ essent credentes, & quis traditurus esset eum, & dicebat, propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo: sententiam scilicet iteravit, quæ dixerat, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, id ipsum alijs verbis repetendo in eo quod ait, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ille quippe trahitur ad Christum cui datur, ut credat in Christum. Datur ergo potestas, ut filij Dei fiant, qui credunt in eum, cum hoc ipsum datur ut credant in eum. Quæ potestas nisi desat à Deo nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberauerit, sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitia vel occultus vel manifestus deceptor inferuit, vel sibi ipse persuasit.

Quomodo vero tractio sit volentium, constat ex Pron. 8. 12. Ose. 4. 4. Vide & Augustinum Serm. 2. de sermone Domini. Augustino consentiunt moderatores Calvinistæ ut Greuinchonius disput. schol. contra Amesium vbi pag. 38. multis docet, tractionem esse moralem, ideoque liberam. Et pag. 37. Verba creandi, mutandi, inclinandi, & flexendi negat intelligenda de irresistibili impulsu sed morali.

§. 6. Horrenda sunt, quæque omnem stoicismum superent, quæ Calviniani, de irresistibili gratiâ, de facto, de providentiâ Dei, quam fingunt rebus necessitatem imponere docuerunt. Vide certamina Haidelbergensium, & Tubingensium pag. 270. & pag. 125. Creuinchonius aliique moderatores in Belgio Calvinium, Beza, cæteros stoicos appellat, & Adriano Smoutio eâ de re querentem hortantur alij, ut eos à sectâ stoicorum vindicet; non posse se dissimulare tantos errores, quod ad omnia scelera trahi fatali necessitate fingant. Verum de his egi in Coron. Iubilorum, cap. 35.

§. 7. Calviniani, ut Pareus l. 2. de gratiâ, & libero arbitrio, cap. 11. auxilium diuidunt hunc in modum

Auxilium seu gratiam, liceat hæc cum aduersario nunc confundere, hic intelligimus vocationem externam, & internam, utrag. duos habet gradus. Externa vocatio sit, vel per librum naturæ, & creaturæ, &c. vel per librum scripturæ, seu per medietatem verbi, sacramentorum, miraculorum. Priorem esse concedit, non posteriorem. Interna etiam duos habet gradus, inquit, Prior est illuminationis, quæ homini voluntatem Dei, & viam salutis agnoscere, intelligere docetur.

Adams Conzen in Euang. Tom. II.

Hanc etiam omnium esse negat, esse autem sufficientem ad conversionem, non ad conuersionem, aliquid vero esse efficacem: & hanc solam esse sufficientem.

Itaque quamuis non concedat vllam gratiam sufficientem ad conuersionem, nisi eam quæ sit efficax, fingit tamen sufficientem ad id esse, ne excusari possint.

Hac in causa duos grauissimos committit errores. Primus est, quod aliquos per auxilia, & gratiam putet reddi ἀναπολόγητος inexcusabiles, qui tamen non possint agere bonum, quod iubentur, nec vitare malum, quod prohibetur. idque eâ causâ, quod Deus vires dare noluerit. Quod non modo contra æquitatem est, sed etiam multiplices Dei promissiones, omnibus enim gratiam sufficientem offerre solet, quam qui contemnunt, ideo solum redduntur inexcusabiles, quod conuerti poterant, sed noluerunt. Quis enim, si ægrum iacentem surgere iubeat, non autem præbeat sufficiens auxilium, quo erigere se possit, queri potest non surgere eum, qui surgere non potuit? Non potuit autem, si aliquid, ut posset, mihi defuit. Si proprio arbitrio & libero non peccauit, culpam non sustinet, peccare autem non potest, si id quod facit, necessitate facit. Augustinus lib. 7. de ciuit. Dei cap. 30. & lib. 3. cap. 1. de libero arbitrio. Neque vlla culpa deprehendi potest, ubi natura necessitas dominatur. Et de verâ religione cap. 14. Nunc vero vsq. adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat. Quare aut negandum est peccatum committi, aut fatendum est voluntate committi. Non autem rectè negat peccasse animam, qui & penitendo eam corrigi faceret, & veniam penitenti dari, & perseverantem in peccatis iustâ lege DEI damnari. Postremo si non voluntate male facimus, nemo obiurgandus est, nemo monendus.

Alter error multo etiam est foedior, cuius pudor mentiri voluit. Calvinus enim cum soli auxilio omnia tribuat, libertatem neget, eos qui à Deo efficaciter conuertuntur, necessario agere censet. Pareus tantum ait eum docere istos irrefragabiliter, non necessario, infallibiliter non fataliter agere. At vero non hoc de bonis tantummodo, sed vitiis etiam actionibus iudicant. Vnam enim radicem necessitatis arbitrantur, absolutum Dei decretum, & motum suum siue in bonum siue in malum, cui vis nulla possit resistere. De Caluino de eui libro de Idololatriâ Calvinistica. Nunc solius Beza testimonio contentus ero, ille contra Castellionem Aphor. 16. Deus ἐνεργει, id est, efficaciter agit seu efficit omnia, secundum consilium voluntatis suæ. Adrianus Smoutius solum excipit à fato stoico, quod non prima causa, sed mediæ tantum necessentur.

QUESTIO II.

An trahat Deus prædeterminando physice?

§. 1. Nonnulli quamuis voluntatem conuenienter suæ naturæ, libereque moueri sentiant, Id tamen quodam auxilio fieri arbitrantur, ita efficaci, ut eo posito necessarius consensus voluntatis consequatur, non ex hypothesi, aut aliâ causâ, sed ex vitalis auxilij, quod physice voluntatem prædeterminet, ut hoc velle debeat, aliud velle non possit.

Statuendum quidem est, Christum hoc loco de tractione agere quæ sufficiens sit, non tamen physice

Ec 3

neces-

Non est
physica præ-
determina-
tio.

necessario prædeterminet. Non autem vi illi volunt tractio indicat illam motionem prædeterminantem, sed Dei concursus supernaturalis, indeterminatum. Sed iam satis ostensum est, tractationem illam violentam non esse voluntati, multis enim & miris modis fit illa tractio. Prosper de vocat. Gentium l. 2. Dominum, ait, significasse fidem in ipsum haberi ex patris munere, qui in cordibus trahendorum hoc egit, ut crederent: hoc effectus ut vellent; non enim esset unde traherentur, si se quaces fide, & voluntate non essent, quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt. Et Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 6. Non vi quadam cogi, trahig, credentes, putandum est, sed monitione, doctrina, & reuelatione ineffabiliter facta. Non posse autem illam prædeterminationem cum libertate consistere, docet Soarez noster tribus libris de auxilijs.

§. 2. Oritur hic & alia difficultas: Vel enim tractio est auxilium gratiæ efficacis, vel tantum sufficientis. Non efficacis: nam dicitur nemo posse venire, nisi trahatur, at possunt venire, qui efficacem non habent gratiam, alioqui qui sufficientem tantummodo haberent, non essent inexcusabiles. Imo falsa est sententia; nemo potest venire, nisi cui data est gratia efficax. Nisi non posse venire dicatur is, qui potest quidem absolute venire, certissimum tamen est, non esse venturum.

Iudæi gra-
tiam suffi-
cientem ha-
buerunt.

Non sufficientis tantum: Christus enim contra eos disputat, qui non erant dati à patre, qui non traherantur, at illi gratiam sufficientem habebant, & externam, & internam, non tamen veniebant non credebant, ergo affirmat Christus eos non trahi, hoc est, gratiæ efficaci non donari, quæ actu conuertantur.

Respondeo. Trahi minus esse quam donari à patre, ut rectè aduertit Stapletonus, itaque de sufficiente gratiâ intelligenda sunt verba Domini. Sic Belarminus lib. 6. cap. 2. de gratiâ, & libero arbitrio exponit, non posse hominem sine speciali illustratione Dei, fidei mysteria credere. Vbi posse propriè intelligendum: nam reuera non modo non crediurus est, sed ne potest quidem credere principio, & facultate, quæ possit, destitutus. Et lib. 2. cap. 8. objectionem habet, quam illi proponunt, qui negant omnibus sufficientem gratiam aliquando dari. Argumentum eorum ex præsentis loco sumitur. Nemo potest venire ad Iesum nisi pater traxerit, pater non trahit omnes; non igitur venire possunt omnes; nam omnis qui trahitur, venit. Veramque solutionem adhibet. Respondeo, inquit, falsa est assumptio, quæ dicit, pater autem non omnes trahit, trahit enim omnes pater, sed pro loco & tempore; at non omnes veniunt licet re vera possint; non enim trahere vult pater, nisi dare disponeret auxilium quo venire possent si vellent. At omnis qui audiuit & didicit, venit: igitur omnis qui trahitur venit. Respondeo, trahi esse audire, non autem venire omni qui audit, sed omnis qui audit & discit; nam si omnis qui audit veniret, non diceret Psalmus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Itaque omnes aliquando audiunt, quia omnes Deus pro loco & tempore vocat; sed illi soli discunt & veniunt, quibus pater ita suadet ut persuadeat. Et hæc est gratia efficax; posse tamen omnes credere, ac proinde omnes à Deo audiri, & trahi perspicuum est, ex illo eodem capite Ioan. 6. ubi Dominus hortabatur omnes ad fidem, quod non fecisset, nisi sciisset omnes potuisse credere.

Potest tamen alia etiam responsio adhiberi, quæ, ut verum fatear, magis conuenire videtur Evangelicæ sententiæ, si dicamus Dominum loqui de gratiâ efficaci, quæ ita suadet ut persuadeat. Dicitur autem non posse venire, qui non trahitur per efficacem gratiam, non quod absolute non possit, sed quia infallibiliter non veniet; sicut etiam contra, qui trahitur, potest absolute non venire, tamen infallibiliter venit.

Itaque Dominus cum Iudæis murmurantibus ait: Nolite murmurare inuicem, nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum: non significauit illos non potuisse credere, sed indicauit fidem esse donum Dei, nec haberi industria humana, sed reuelatione diuina, & ideo non opus esse murmuratione, sed oratione; quia omnis qui petit accipit; Et ideo S. Augustinus tract. 26. in Ioan. exponens hunc locum ait, si non traheris, ora ut traharis.

Dices, quomodo potest quis orando impetrare fidem, cum nemo possit orare nisi habeat fidem? Facilis est responsio, nam isti, quibus Dominus loquebatur, iam nouerant & credebant unum esse Deum, sed Iesum Filium esse Dei, verum Messiam in lege promissum, nondum credebant. Quare poterant ex fide unum Deum orare & impetrare fidem, quæ Iesum Filium Dei & Christum esse crederent.

Ex his ad argumentum initio factum respondemus, eo argumento solum concludi, non habere omnes auxilium efficax, quo reipsa credebant, non tamen concludi non habere omnes saltem pro loco & tempore auxilium quo possint credere, vel certe quo possint auxilium petere & dicere. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.

Alijs tamen locis pro sufficiente usurpat: & sane cum conueniat verbum, non posse propriè accipi, tractio hoc modo optime intelligitur. Habebant Iudæi sufficientem gratiam, & traherantur: nam pridie in Christo audiendo occupati carnem negligebant, esurituri, nisi miraculo paupisset. Trahebantur igitur, non tamen quod audiebant, sufficienter didicerunt, Christus vero non illis solum verbis reprehendit, sed ille sensus est. Nemo potest venire ad me, vel se disponendo, vel conuertendo, nisi pater traxerit, dando sufficientia auxilia; nam à Deo docendos ait omnes esse. Deinde addit: Omnis qui audiuit & didicit venit ad me. Vos tracti estis hæcenus, & audiuitis, non vestra virtute aut meritis, sed gratiâ patris, sed non didicistis, ideo non venitis: omnes trahit pater, & omnes tracti progressum faciunt, non omnes metam attingunt, sed illi qui discunt, ut credant, & ament.

VERSVS 45.

Et scriptum est in Prophetis, & erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me.

QUESTIO I.

Quid est docibile esse Dei?

§. 1. EX Prophetis probat, patrem esse, qui trahat, qui doceat, Deum esse magistrum fidei, eam non humani ingenij, vel dexteritatis esse. Græcè est, διδάσκει δόξαι, docibiles, discipuli, est enim διδάσκει quod doceri, vel disci potest: nam & homo dicitur διδάσκειν, & ἀγαθὸν διδάσκειν. Cur dicat scriptum esse in Prophetis, alij causam putant, quod pluribus à Prophetis id prædictum sit; alij quod in volumine Prophetarum haberetur; nam vetus Testamentum diuinitus erat, in legem, Prophetas, hagiographas; itaque in Prophetis perinde est, ac si in volumine quo Prophetarum scripta continentur, dicamus conscriptum esse. Isaia 54. 13. Ponam vniuersos filios tuos doctores Domini. Sensus idem est Ierem. 31. 33. Ezech. 11. 19. & 18. 31. Ioel. 2. 28. Syrus hoc loco habet: כללתי את כל בני ישראל ברוח דעא Culbun malphe dalaba, omnes doctores Dei, vel discipulos Dei.

Bza